

Verum plures habet primus ille Virgilianus:

17

Tityre tu patulae recubans sub tegmine fagi
quem usus propemodum in jocum vertit. Ejus variationes sunt
hae: pro *tu sub* 2. pro *patulae recubans* 2. & *Tityre* jam initio
ut nunc, jam *tegmine* initio: jam *Tityre tegmine*, sine; jam *tegmi-*
ne Tityre, sine. 4. 2. f. 16. Verum in Porphyrianis
non singuli Protei, sed omnes, neque unus versus sed carmen to-
tum talibus plenum admirandum est. Ejusmodi versus com-
posituro danda opera, ut voces consonis aut incipiant, aut fini-
ant. Alter qui & nomen Protei indidit, est Jul. Cas. Scaliger. 18
vir si ingenii ferocia absit, planè incomparabilis, Poët. lib. 2. c.
30. pag. 185. is hunc composuit, formarum, ut ipse dicit, innu-
merabilium, ut nos 64:

Perfide sperasti divos te fallere Proteu.

Plures non esse facile inveniet, qui vestigia hujus nostrae com-
putationis leget. Pro *Perfide fallere* 2. pro *Proteus divos* 2.
f. 4. *Sperasti divos te*, habet variationes, 6. f. 24. *Divos*
perfide Te sperasti, habet Var. 2. *Divos Te sperasti perfide*,
habet, 6. † 2 † 2 f. 10. 4. f. 40. † 24. f. 64. observavimus ex
Virgilio, æquè, imò plus variabilem, Aen. lib. 1. v. 282. *Queis*
(pro: His) ego nec metas rerum nec tempora pona. Nam *perfide*
una vox est; *queis ego* in duas discerni potest. Venio ad ingenio- 19
sum illum Bernhardi Bauhusii Jesuitæ Lovaniensis, qui inter Epi-
grammata ejus extat; utque *superior*, v. probl. 4. de Christo,
ita hîc de Maria est:

Tot tibi sunt dotes virgo, quot sidera cælo.

Dignum hunc peculiari opera esse duxit vir doctissimus Eryci-
us Puteanus libello, quem *Thaumata Pietatis* inscripsit; edito
Antverpiæ anno 1617. forma 4ta. ejusque variationes utiles
omnes enumerat à pag. 3. usque ad 50. inclusivè quas autor,
etsi longius porrigantur, intra cancellos numeri 1022. conti-
nuit, tum quod totidem vulgò *stellas* numerant Astronomi,
ipsius autem institutum est ostendere dotes non esse pauciores
quàm *stellæ* sunt; tum quod nimia propemodum cura omnes
illos evitavit, qui dicere videntur, tot sidera cælo, quot Mariæ

L

dotes